

SUCCESSIO

30.

II K  
3088

Ms. h. II, 161.  
h. 43, 3.

LINEALIS,

PER SE

ET IN

X 1878800

ELECTORATIBUS  
IMPERII SECU-  
LARIBUS,

EX

2. F. S. & AUREA BULLA  
CAROLI QUARTI IMP.

NEC NON EJUSD. ET

SIGISMUNDI IMP. BULLIS  
SPECIALIBUS.

DEFENSA ATQUE DECLARATA

A

JOH. WOLFG. TEXTORE,  
JCTO. ET ILL. REIP. FRANCOF. AD  
MOENUM SYNDICO PRIMARIO.

FRANCOFURTI,

Sumptibus JOH. DAVIDIS ZUNNERI, 1698.

19.

217.







## PRÆLOQUIUM.



**A**nus agitur duodecimus, ex quo, cum Professor Codicis & Juris publici essem, in Universitate Electorali Palatinâ disputationem habui de successione ex lineâ, quam duplici præsertim textu 2. F. 50. & Aur. Bullæ Caroli Quarti Imperatoris tit. 7. perpensis rationibus asserui; eam Vir Clarissimus Joh. Schilterus peculiari comment. ad d. text. 2. F. 50. à capite 3. ad finem usque impugnavit ita, ut meæ disputationis fundamenta, etsi non allegato auctoris nomine & in speciem velaminis refutato Engelbrechto, subversa cuperet; invito omnes ad lectionem & disputationis & commendationis jam allegatæ, est disputatio vigesima septima partis primæ editarum anno superiori à me Academicarum Disputationum & commentatio etiam publicè obvia. Quodsi verò illi licuit, meam assertionem, ac Disputationem impugnare, ægrè ferre non debet, si ego rejectis objectionibus defendam idque solius veritatis obfirmandæ studio.

### §. I.

Hunc scopum ut assequar præmitto linealem successionem eam esse ubi successor in ordine succedendi excludit alios lineæ non participes, citra distinctionem gradus an proximior sit nec ne, prout *th. 3. d. disp. expressi*, & consentientem habeo feudistam, ut loqui solemus *d. c. 50.* qui disertis verbis ait: *ad solos & ad omnes qui ex illâ lineâ sunt, ex quâ iste fuit* (proximus sc. defunctus) deferri successionem, moxque subjicit hos successores esse *proximiores respectu aliarum linearum sed omnibus ex hac lineâ deficientibus omnes alias lineas aequaliter vo-*

A

cari;

*sari*; Quo contextu quid clarius dici possit pro prærogativâ  
 lineæ, perspicere non licet, haud dubiè enim, ubi soli qui de li-  
 neâ sunt defuncti succedunt, & gradus aliarum linearum non  
 attenduntur, linealis successio est, cur enim aliàs soli succede-  
 rent participes illius lineæ, quod tamen feudista expressis ver-  
 bis asserit. Verum circa res tam clarissimas, ne in meridie  
 cæcutire aut litem de nomine moventibus accedere velle di-  
 camur, moras necere superfluum puto. Itaque cum ob  
 claritatem textus feudalis successionem linealem per se negare  
 haud liceat, Dn. antagonista, ut aliquid dixisse videatur casum  
 immutare allaborat, ait enim, *d. c. 3. §. 1. circa fin. textum, hunc  
 versari in terminis successionis non collateralium sed descendentium*  
 quam in rem glossam allegat, sed mox mirâ varietate addit in  
*vers. dummodo scias*, de quo propriè sermo est, & in quo feu-  
 dista expressit linealem successionem, de collateralium suc-  
 cessione decidi, idque ex sententiâ Baldi, Andr. de Ifernâ &  
 Matth. de Afflictis. Hæc quomodo cohæreant ipse viderit.  
 Ego ut ordine procedam, primò ipsum textum præmittam  
 deinde statum controversiæ nostræ proponam, postea ex ver-  
 bis & ratione textus meam sententiam probatam dabo ac de-  
 mum explicarionem & objectiones Dn. adversarii, quatenus  
 contrariari videbuntur discutiam, eademque etiam methodo  
 utar circa textum Aur. Bullæ præallegatum. Tenor igitur  
 textus *d. c. 50*, integer ita habet: *Successionis feuditalis est natura  
 quod ascendentes non succedunt. v. g. pater filio, inferius verò filius  
 patri succedit & non filia nisi ex pacto, vel nisi sit fœmineum, tunc  
 enim succedit filia matri & patri secundum quosdam, succedit nepos  
 ex filio solus & sic usque in infinitum, ex latere omnes per masculos  
 descendentes usq; in infinitum, si feudum sit paternum, paternum  
 autē voco quicumque ex superioribus id acquisivit, dummodo scias  
 quod si quis habens beneficium quatuor superstribus filiis decedat,  
 & feudum ad unum solum ex divisione deveniat & iste superstiti-  
 bus filiis duobus vel tribus decedat, qui patruales dicuntur & ad  
 unum eorum beneficium ex divisione perveniat & similiter iste*  
 su-

*superstitibus filiis decedat qui patrueles dicuntur, ad quorum unum  
 feudum similiter pervenit, sicut etiam ex aliis superioribus vel pri-  
 mis fratribus supersunt masculi, si ille, qui feudum habet decesserit  
 nullo filio relicto, an ad omnes vel ad quos perveniat, queritur?  
 Respondeo, ad solos & ad omnes, qui ex illâ lineâ sunt, ex quâ iste  
 fuit, & hoc est quod dicitur ad proximiores pertinere; isti verò  
 proximiores esse dicuntur respectu aliarum linearum, sed omnibus  
 hac linea deficientibus omnes alia linea equaliter vocantur. Ha-  
 tenus textus feudalis. Si jam status controversiæ formari  
 debeat, hic est: Successionem linealem obtinere etiam inter  
 agnatos collaterales in feudis, vel non obtinere; ego senten-  
 tiam affirmativam meam feci ac propugnavi in *d. disp. de Suc-  
 cess. ex lineâ*, Dn. adversarius negativam adstruit in *d. c. 3. §. 5.*  
 usque adeò, ut jure feudali incognitam existimet successio-  
 nem linealem; sed quoniam textus *d. c. 50.* apertissimis verbis  
 mentionem facit successionis, quâ quis, quia proximior sit ex  
 lineâ, solus succedat, intelligit casum feudistæ, de successio-  
 ne descendendum, qui in ordine succedendi excludant col-  
 laterales uti passim patet ex traditis *d. §. 5.* Verum non est  
 hîc quæstio, quem casum feudistæ in priori contextu ha-  
 beat, sed quem in *vers. dummodo scias*, ubi haud quaquam  
 subfuit in facto ea hypothesis, quâ dicere liceat quæstionem  
 fuisse inter descendentes & collaterales agnatos; possem hac  
 in re provocare ad regulam Doctorum, quam tradere solent  
 in *l. quod Labeo ff. de Carbon. Edict.* Leges nimirum in dubio  
 ita intelligendas, ut prudens aliqua dubitandi ratio subin-  
 telligi queat: quæso autem, quæ dubitandi ratio est, in succes-  
 sione sive feudorum sive aliarum rerum excludi agnatos col-  
 laterales à descendentibus legitimis defuncti, cum id sciant o-  
 mnes, sed non est opus ex conjecturis bonæ interpretationis  
 agere, quando textus ipse *d. c. 50.* pro se loquitur, & in ter-  
 minis talem casum continet *d. vers. dummodo scias* ubi suc-  
 ceditur defuncto sine liberis, quod ad literam probant verba  
 relata textus ibi: *Si ille qui feudum habet decesserit nullo filio**

*relictio* quibus immediatè subjicitur quæstio apud feudistam  
 controversa. an ad omnes vel ad quos perveniat (feudum sc.  
 quod proponitur tribus vicibus divisionum ad unum antea  
 pervenisse) Igitur indubiè fuit quæstio de concursu agnato-  
 rum de lineâ cum aliis agnatis extra lineam; ac si velit Do-  
 minus adversarius forsan excipere, agnatos lineales ultimò  
 defuncti fuisse descendentes illius ad quem ex divisione primū  
 antea feudum pervenisset, facilè assentior, sed nego conse-  
 quentiam sc. successionis speciem in quæstione controver-  
 sa proptereâ fuisse ex ordine descendendum, quoad collatera-  
 les, quia anterior vasallus defunctus per verba textus dece-  
 dit sine filio, nec idcirco quòd alii agnati ex lineâ à quibus  
 feudista vult excludi aliarum linearum agnatos descende-  
 runt, ab illo primo, subintelligi debet ordo successionis de-  
 scendentium, semper enim vel à primo acquirente descen-  
 dere oportet, qui ex ordine agnatorum succedere voluerint  
 in feudum per text. 2. F. II. quamvis hic ordo nihilominus  
 sit & maneat ordo successionis collateralium; Nepotes af-  
 fingere illi, qui in textu proponitur sine filio decessisse divi-  
 natoria interpretatio foret, quæ insuper dubitationis nihil ha-  
 buisset, dum constat nepotes subintrare sui patris prædefun-  
 cti locum, ergò hac parte non patet effugii via; falsa verò  
 hypothesis, effingitur, si supponamus, successionem collate-  
 ralem tantum agnatorum de ultimâ lineâ, si quidem feudista  
 clare duos casus complectitur in hoc successionis ordine, al-  
 terum, si superfuerint licet nulli descendentes, tamen agnati  
 lineales ultimò defuncti, inter quos & agnatos aliarum linea-  
 rum controversa proponitur quæstio tenore textus præmis-  
 so, & resolvitur disertis verbis ex lineâ; alterum, si tota li-  
 nea decesserit, in quâ sc. solâ ex figuratione casus feudistæ  
 aliquot vicibus contigerat feudum ad unum devolvi, ubi re-  
 spondet omnes alias lineas, tunc æqualiter vocari, atque hic  
 jam casus est, ubi lineæ non participes solitariae feudi devolu-  
 tionis ad unum succedunt ex prærogativâ gradus, quæ est  
 etiam

etiam ordinaria in feudis succedendi ratio, casum verò speciale esse successione in *d. vers. dummodo scias* totus contextus ostendit, & fuisset ridiculus ne dicam absurdus feudista, si cum proposuisset ordinem succedendi descendendum in feudis in infinitum obtinere tanquam primum, postea eo sensu in *d. vers. dummodo scias* subiecisset: hoc sciendum, velut notabile aliquod si descendentes sint excludi agnatos vel cur, cum antè jam fuerint ex suppositione transversales agnati devoluto feudo antiquo ad unum ex descendentibus, non limitata est? Nobis sanè non est difficile respondere, qui in casu feudistæ negamus ultimâ illâ vice superfuisset, qui succederent in feudo ex ordine descendendum, ergò tunc primum controversia esse potuit inter diversarum linearum agnatos, quam feudista resolvit pro lineâ ultimò defuncti. Res erit adhuc clarior si casum ipsum ex textu formemus, fuit autem talis. Quidam habuit feudum & relictis quatuor filiis decessit: Patrem horum filiorum vocabimus Valerium filios Titium, Mævium, Cajum, Sempronium feudum ipsum Castri Tiburtini, in divisione igitur paternæ hereditatis ad solum Titium pervenisse ponamus cum textu, feudum: hunc verò pro posterâ reliquisse filios Probum, Valentinum & Lucretium, qui pariter feudum istud in divisione hereditariâ permiserint fratri Probo, hunc rursus pergitur ex textu genuisse filios Charum, Flaccū & Tuditanum, ex quibus Charus in divisione acceperit feudū & postea decesserit improles, relictos autem à fratribus Chari præmortuis filios à Flacco, Marcum, à Tuditano Menecratem; hi sanè ergò supposito per feudistam in verbis *ex quâ iste fuit*, intelligi lineam specialem ultimò defuncti à successione castri Tiburtini etsi pares gradu excluderent Valentinum & Lucretium, cum hi non sint de lineâ Probi, ex quâ Charus fuit; quòd si quis fortè hinc causetur jus repræsentationis, quo Marcus & Menecrates feudum Caji patris obtinuerint, præ Valentino & Lucretio, addemus ulteriorem gradum ut ratio feudistæ sola appareat, genitum

nempè à Marco esse Fulvium à Menecrate Silvaticum, reli-  
 quisse etiam Valentinum & Lucretium filios Fulcinium &  
 Quintium, hos certè iterum Fulvius & Silvaticus excluderent  
 lineâ secundum feudistam quamvis pares gradu, & cessante  
 jure repræsentationis, quod in nepotibus fratrum non obti-  
 net; excluderent verò ob prærogativam lineæ Probi, in quâ  
 eadem militat ratio pro Fulvio & Silvatico contra Valenti-  
 num & Lucretium eorumve progeniem, quæ pro his contra  
 primos fratres Cajum, Mævium, Sempronium ad feudi succes-  
 sionem faceret, nempe solitaria assignatio feudi in divisione  
 hereditatis paternæ. Nec ergò potest objici ex textu Va-  
 lentinum quoque & Lucretium admittendos, quòd saltem  
 sint ex lineâ Titii, quoniam semper nova persona generata,  
 est principium novæ lineæ, ad quam ubi in divisione heredi-  
 taria semel feudum exclusis fratribus est devolutum, cen-  
 setur etiam ad successores descendentes cum simili qualitate  
 deferri, ut nimirum patrum ac descendentes ex illis sint  
 exclusi vi pacti divisorii, quo soli fratri feudum cesserunt, unde  
 verior jam est sententia haud relevare ex lineâ Titii quem es-  
 se, si non etiam sit ex proximâ lineâ ultimò defuncti, nec  
 magis Valentinus & Lucretius aut eorum progenies deside-  
 rare possunt se admitti ad participationem Castri Tiburtini  
 superstite Marco & Menecrate vel horum filiis, quam  
 superstite Probo, Mævius, Cajus vel Sempronius id potuissent,  
 subest nempe eadem ratio impediens utroque casu, nempe  
 consensus devoluti feudi ad solum fratrem, cujus adeò lineâ  
 in illo feudo habet præferentiam præ aliis lineis etiam in suc-  
 cessione collateralium; sicut constat sive Marcum sive Me-  
 necratem sive Fulvium sive Silvaticum ponamus successisse  
 Charo in feudo Castri Tiburtini eam successionem collate-  
 ralem esse, quia aut filii fratrum aut nepotes successissent ei  
 ut patruo, vel ut patruo magno, quæ successionis species  
 haud dubiè ex ordine collateralium est. Ex quibus nisi o-  
 mnia fallant, jam est perspicuum, controversiam fuisse apud  
 feu-



feudistam, *in d. §. dummodo scias* non inter descendentes & collaterales, sed inter collaterales ultimò defuncti, qui sc. ex textu supponitur decessisse sine liberis, adeoq; largius, quàm defendi possit locutù Dn. antagonistam, quasi linealis successio inter collaterales jure feudali non detur & incognita sit; nec relevat, si dicat, omnes jure lineæ prælatos in casu figurato esse descendentes Titii, qui excluderint collaterales ejusdem; uti enim hoc verissimum est, ita male hinc colligitur, inter descendentes & collaterales fuisse quæstionem, quia hic descensus agnatorum succedentium Charo, nequit esse fundamentum succedendi per ordinem descendentium, nam in ipsâ lineâ Titianâ universali fuerunt plures collaterales, Chari ultimò defuncti, inter quos potuit esse & ex propositis fuit quæstio successionis feudi Tiburtini, imò si Dn. Antagonista eum omnem successionis ordinem descendentium esse putat, ubi successores à primo acquirente descendant, necesse est, ut contra apertissima jura feudalia & consensum omnium interpretum, regulariter nullum agnoscat succedendi ordinem agnatorum collateralium, quippe, quos omnes ut succedere possint, descendere oportet à primo acquirente *ex d. text. 2. F. 11.* licet ordo succedendi, quo feudum ab agnato ad eos defertur, sit verè collateralis, quo intuitu etiam feudalis juris scriptores cõmuniter sentiunt, in successione feudorum attendi personam postremò defuncti velut in computatione graduum *Isern. Afflict. & al. ad d. tit. 50. Rosenthal de feud. c. 7. conclus. 57. n. 10. Vult. de feud. lib. 1. c. 9. n. 233. Dn. Marpurg. vol. 4. consil. 22. n. 10.* & ab his alleg. plures, quibus cum ipsemet Dn. adversarius in hoc scripto suo consentiat, non apparet, quâ ratione propter descensum à Titio, textum istù feudalem detorqueat ad solù succedendi ordinem descendentiù. Porro etsi sententia de successione lineali agnatorum in feudo, inter Doctores eatenus variet, num omnes de cõmunè lineâ primi, ad quem unum in divisione hereditariâ feudum pervenerat, admittantur ad successionem, an soli, qui sunt de  
spe-

8

Speciali lineâ postremò defuncti, v. g. in casu præmissò, an omnes de lineâ Titii, an soli de lineâ Probi ex quâ fuit Char<sup>9</sup> sine prole defunctus succedant, tamen in eo conveniunt, Titianos descendentes sine distinctione gradus, in feudo ad unum devoluto præferri Cajo, Mævio, Sempronio, & ab his descendentibus; & sic communi consensu dant locum successioni lineali etiam inter collaterales, Charo enim Flaccus ac Tuditanus fratres, cum Marco & Menecrate filiis aliisque descendibus æquè sunt collaterales, ac Cajus, Mævius & Sempronius eorumque descendentes, licet illi his per textum nostrum ex lineâ præferantur; scribit Rosenthal de communi d. sententiâ, quos allegat d. concl. 57. n. 6. lit. n. ex devolutione feudi ad unum fundari successionem lineæ, sed ita mox temperat ut & gradum velit attendi, quod nihil est aliud, quàm id ipsum quod præoccupavimus dicere de communi lineâ Titii & speciali Probi, existimat nimirum Rosenthal, communem Doctorum sententiam & veram esse ex lineâ Titii admitti omnes ad successionem Chari in feudo Tiburtino, etsi non sint de lineâ Probi, adeoque qui propiores sint Charo in gradu & simul ex Titii lineâ præferri in successionem remotioribus, si qui forent etiam ex lineâ Probi; allegat in eam rem l. c. plures & Sonsbecii atque Hottomanni hoc puncto contra sententiarum opinionem ut singularem notat, sed præter Ifern. Zasius & Cujacius in d. c. 50. haud obscurè idem tenent, sc. etiam specialem lineam præferri, quæ assertio probabilis est ex paritate rationis suprâ jam deductâ, eiq; etiam sententiæ conformiter scribit Struvius de successionis linealis præferentiâ; quicquid verò sit, si lineas speciales, vel maximè ab isto prælationis jure, quis excludere vellet, maneret tamen firma communi consensu & fundamento ipsius textus d. c. 50. linealis successio etiam inter collaterales saltem in lineâ communi, & consequenter potuit optimè hic textus à me juxta tenorem ipsius & communem sententiam allegari in argumentum successionis linealis inter collaterales.

les, ratioque adversa de descensu ex lineâ Titii, ex præmonstratis haudquaquam excludit successionem linealem collateralium in *d. vers. dummodo scias*. Neque erat ut Dominus adversarius ob causam, cui patrocinium præstitum volebat, etiam manifestissima negaret nempe in feudali jure & ipso illo textu. *d. vers. dummodo scias* nullam esse præferentiam lineæ sed solum attendi gradum, & ibi tantum subfuisse casum successionis descendendum qui excluderint collaterales, cum tamen defunctus cui immediate succedebatur nullam prolem reliquerit, nec ascendentes vel superfuerint vel jure feudali admissi essent ad successionem, ut adeò ex collateralium ordine, necessario de successione feudi controversa fuerit quæstio; his inquam tam manifestis, ut obniteretur, ex patrocinio causæ anti Neoburgicæ, nulla ratio erat, quandoquidem nervus rei in eo versatur, an de lineâ extinctâ ad aliam lineam fiat transitus, & num ex sæpè allegato textu feudali hæc assertio habeat fundamentum. Ego interim textum hunc optimè potui allegare pro exemplo & probatione successionis linealis, quæ res sine evidenti contradictione textus ex deductis negari nequit. Verum missis his transeamus ad alterum feudistæ casum in *d. vers. dummodo scias* qui complectitur eam hypothesein, quâ linea, devoluti feudi ad unum, penitus est extincta & sic non tantum nullos descendentes, sed nec agnatos collaterales suæ lineæ proximè defunctus reliquit, hîc jam videndum quid juris sit in successione feudi?

§. II.

Ait feudista hac specie, cæteras lineas omnes æqualiter admitti, ut v. g. in casu præfigurato extinctâ lineâ Titii, Cajani, Mæviani, vel Semproniani descendentes paritate ratione participes sint successionis feudi, & consequenter

B

nul-

nulla tunc superesse videbitur præferentia lineæ; hæc est  
 tota vis argumenti, quâ meam si posset de transitu lineæ ad  
 lineam ejusque prælatione, sententiam eliminatum ivit Dn.  
 adversarius, sed ut mox apparebit conatu irrito; confide-  
 remus verò feudistæ secundam hanc speciem penitus ut  
 constet, quam malè quis argumentetur: juxta feudistam ex-  
 tinctâ lineâ Titii, Caji, Mævii, Sempronii lineæ, vocantur  
 æqualiter & secundum gradus; Ergò in successione feudi  
 primogenituræ v. g. Electoratus extinctâ unâ lineâ cæteræ  
 lineæ Electorales omnes admittuntur ad successionem sal-  
 tem secundum gradus; nam disparitas horum casuum est  
 manifesta, in Caji enim Mævii ac Sempronii lineis, feudum  
 Tiburtinum nunquam devolutum est ad unum, quæ devo-  
 lutio feudi ad unum, causa est præferendæ lineæ, & secun-  
 dum textum feudalem, dum vult casu priore omnes & solos  
 qui sunt de lineâ defuncti agnati admitti ad feudum, & se-  
 cundû interpretes juris feudalis quos communiter ita senti-  
 re scribit Rosenthal *l. c.* ergò ubi supersunt de tali lineâ,  
 agnati, habet locum ratio præferentiæ; ubi nulli super-  
 sunt, cessat, nec ergò mirum priori specie, sive priore casu  
 feudistæ, præferri lineam, posteriore tanquam deficiente  
 causa lineas admitti pariter; Ast in successione Electoratus  
 hypothesis est longè diversissima, dum lineæ omnes quæ  
 sunt de familiâ Electorali descendunt ab his qui pari jure vel  
 obtinere Electoratum, vel jus habuerunt succedendi, de  
 quâ re postea exactius. Nec ergò à casu feudistæ poste-  
 riori per se considerato, argumentû duxi linealis successio-  
 nis in Electoratibus sed à ratione decidendi, atque ut rever-  
 tamur ad feudistam nostrum, huic ratio decidendi posita  
 est in devolutione feudi ad unum, cujus qui sunt participes  
 lineæ haud dubiè præferuntur aliarum linearum agnatis  
 quamvis pari gradu constitutis. Mirum ab antagonista e-  
 jus rei efflagitari probationem, quæ ipso effectu habetur in  
 textu

textu



textu feudali verbis: *ad solos & ad omnes* pervenire feudū qui ex illa linea sunt ex qua iste fuit (ultimò sc. & sine prole defunctus) item è contextu hoc ulteriore: *& hoc est quod dicitur ad proximiores pertinere; isti vero proximiores esse dicuntur respectu aliarum linearum.*

Frustrà regeritur ejus præferentiæ non lineam causam esse sed descensum à Titio, quia hic descensus fundamentum est ipsius lineæ & successio nihilominus est verè collateralis ut supra deduxi, & si non linea causa est quod agnati collaterales ipsius Chari ex lineâ vel Probi vel saltem Titii, admittantur soli ad successionem feudi Tiburtini, cur agnati ex Cajo, Mævio vel Sempronio non pariter succedunt? Qui tamen dum supersunt Titiani ab ipso feudista planè excluduntur; frustra hic allegatur gradus, quem feudista respectu aliarum linearum haud quaquam considerat, nisi quatenus linea, in quâ feudum uni consensu fratrum obvenerat fuerit penitus extincta, hic allegare velle gradus superstiti priori lineâ est contradicere feudistæ, cujus ut mentem plenius perspiciamus, supponenda est ab eo præmissa regula: in ordine collateralium feudum deferri in infinitum (nihil enim hic moramur eos qui communem lectionem allegatione unius vel alterius exemplaris, quo hæc regula omiſsa sit correctam cuperent, quando hac ipsa regula jure nititur & convenit scopo capituli feudalis de naturâ successionis feudi) supposita inquam hac regula, ait feudista ita successionem ex ordine collateralium intelligi, si fuerit feudum paternum, quod explicat per verba: *Quicumque ex superioribus id acquisivit*, conformiter textui *d. tit. II.* ubi agnati non aliter succedunt in feudo, quàm si descendant à primo acquirente, sive si feudum ab aliquo ascendentium eorum qui succedere volunt priò fuisset quæsitum, quod vocatur paternū; huic juri quod quidem in feudalibus peculiare est feudista

subnectit declarationē ulteriorem in *d. vers. dummodo scias* excludi nimirum agnatos etiam descendentes à primo acquirente, si feudum fuerit ad unum devolutum & refert casum, ubi tribus divisionibus hereditariis id contigerit ac tunc subjicit descendentes ab illo uno qui ipsi sint agnati collaterales ejus ad quem sic tertiā vice feudum pervenerat quique post sine sobole decesserat, succedere solos in feudo, quæ declaratio hac ratione firmatur, quod feudum ad unum devolutum censeatur ipsi cum suā progenie legitimo consensu obvenisse abdicativè quoad fratres consentientes eorumque sobolem, quæ ratio cum universalior sit casu feudistæ, & concludat in totā familiā, in quā feudum ad unum devolvitur, ex eā ad successionem linealem Electoratus argumentum desumi posse censui & adhuc censeo, licet casus feudistæ, quo de unā lineā extinctā, ad aliam haud participem solitarię hujus devolutionis feudi nō transit prælativa qualitas, eatenus sit diversus. Ex quibus Dominus adversarius admittere debet vel hoc argumentum meum ex devolutione feudi ad unum vel aliam reddere rationem, decisionis feudalis; quomodocunque autem se contorqueat, non inveniet rationem aliam, præter devolutionem feudi ad unum, textus relationi & Doctorum communi opinioni conformem. Cur enim Caji, Mævii, Sempronii descendentes, arceantur a successione feudi superstite lineā Titii, cum quidem hoc feudum juxta declarationem textus etiam ipsorum respectu sit paternum utpote à Valerio vel aliis ascendentibus devolutum, nulla ratio est vel ex textu suppeditari potest, nisi quia uni Titio consensu fratrum ex divisione hereditariā obvenit idem feudum eaque devolutio ad unum postea quoque in descendentibus Titii sic usu fuit observata, in qua equidem re haud dubiè specialitas casus *d. vers. dummodo scias* consistit, quod regula, quā aliās agnati proximi in feudo paterno, succedant

ex

ex gradu, non absolute procedat in feudo paterno devoluto ad unum per communem consensum fratrum ex divisione hereditaria, tunc enim ceteri fratres & ab his descendentes tantisper excluduntur & velut suspenduntur a jure successionis feudi quantisper unius illius, linea durat, etiam si in ipsa hac linea contingant casus successionis collateralium; tantum abest textum nobis obloqui ut potius manifeste nobiscum sentiat & saniores interpretes omnes. Reddat Dn. assertor opinionis contrariae rationem aliam, si cum soliditate potest, aut nostrum intactum relinquat argumentum, nominet auctores & interpretes sanos contra sentientes quia hi quos ex Rosenthalio & aliis allegavit haecenus non dissentiant, sed ipsimet statuunt praeferi post devolutionem feudi ad unum Titium, repetitamque in descendentes similem succedendi rationem, solos Titianos in successione Chari sine prole defuncti, quod ad feudum Tiburtinum attinet; nominet inquam si potest contra sentientes, qui sc. velint contingente casu successionis collateralis in linea Titii admitti Cajanos, Maevianos vel Sempronianos descendentes superstitibus quibusdam Titianis, & quidem ex consideratione gradus proximioris. Vix erunt qui hoc teneant interpretes, etsi tales Dominus adversarius inveniret, obloquerentur cum ipso textui, in verbis praecitatis, atque adeo audiendi non essent. Neque enim contrariam assertionem juvat allegatio Rosenthalii & ab hoc allegatorum, non enim hoc volunt gradum attendi ante lineam inter Titianos & Cajanos, v.g. si successio collateralis contingat in lineam Titii sed solos Titianos, cessent Charo agnato sine prole defuncto juxta feudistam succedere, ubi descensus a Titio, adeo non obstat, ut potius fundamentum sit praefrendae Cajanis lineae Titianae, etiam si Charo sint pariter agnati & non obstante, quod feudum Tiburtinum Cajanis aequè sit paternum ratione originis utpote deveniens a Valerio.

lerio. Quæ successionis ratio durat quamdiu linea Titiana superest duratura similiter in Cajanis & cæterarum linearum agnatis, si in his locum habuisset devolutio feudi ad unum, quis ergo neget rectè hinc argumentum peti, pro successione lineæ ad lineam ejusdem juris cum priori extinctâ participem, quales quidem apud feudistam Cajanæ, Mævianæ ac Sempronianæ lineæ non fuerunt ut ad eò Titianâ superstite excludantur à feudo Tiburtino, eâ verò extinctâ ad successionem illius admittantur, & quidem cessante tunc qualitate, quâ feudum ex devolutione ad unum, lineam præ lineâ respicit, virtute gradus. Non jam prolixius insistemus clarissimorum Jctorum Hottomanni, Sonsbecii, Zasii, Cujacii & Struvii sententiæ supra relatæ de prælatione linearum subordinatarum, quæ ex prædeductis ob paritatem rationis satis est firmata & planè probabilis, sed sufficiat saltem totam lineam Titianam ex devolutione feudi ad unum Titium, in descendens repetitâ, etiam quoad successiones collaterales in hac linea præferri Cajanis lineisque reliquis missâ omni graduum computatione & quod hinc meritò ducatur argumentum de præferentiâ novæ lineæ, in qua ratio præferendi æquè militet ut in priori extinctâ, maximè, si in tota familiâ id jus receptum aut lege stabilitum fuerit ut feudum devolvatur ad unum & quidem primogenitum. Ex quibus omnibus jam constat ex textu. 2. F. 50. ubi feudum etiam antiquum ad unum devolutum sit, præferri lineam gradui descendentium ab illo uno etiam in successione collaterali, & ex ratione hujus textus feudalis universali bonum argumentum duci ad lineam novam, in quâ militet eadem causa præferentiæ, quæ in casu feudistæ posteriori cessabat, idque ipsum est quod erat defendendum.

§. III.



§. III.

Hic quæstio specialis de successione Electoratus alicujus secularis movetur, utrum inter collaterales agnatos extinctâ unâ lineâ præferatur absolutè proximus gradu in cæteris lineis indistinctè, an proximus de lineâ proximâ, visum prius domino adversario, sed quoniam hujus controversiæ ex Aurea Bulla maximè solet, decisio peti, sub jiciam hic pariter verba concernentia, quæ ita habent *tit. 7.*  
*Ne inter eorundem principum secularium Electorum Filios super jure, voce & potestate præfata futuris temporibus scandalorum & dissensionum possit materia suscitari, & sic bonum commune periculosus dilationibus impediri, futuris, auctore Deo, cupientes periculis salubriter obviare statuimus, & Imperiali auctoritate, præsentis lege perpetuis temporibus valitura, decernimus, ut postquam iidem Principes Electores seculares & eorum quilibet esse desierit, jus, vox & potestas electionis hujusmodi ad filium suum PRIMO GENITVM, legitimum Laicum: illo verò non extante, ad ejusdem PRIMO GENITI PRIMO GENITVM similiter Laicum, libere & sine contradictione cujuscumque devolvatur. Si verò primogenitus hujusmodi, absque heredibus masculis legitimis laicis ab hac luce migraret, virtute præsentis Imperialis edicti jus, vox & potestas electionis prædicta, ad SENIOREM FRATREM laicum, PER VERAM PATERNALEM LINEAM descendentem & deinceps ad illius primogenitum laicum devolvatur. Et talis successio in primogenitis & heredibus principum eorundem, in jure & potestate præmissis perpetuis temporibus observetur.* Ex quibus apparet i. Carolum Quartum Imperatorem hac dispositione Bullæ suæ respexisse duplicem statum, temporis nempe tunc præsentis & temporum futurorum, ita nimirum ut successio in Electoratibus obtineret inter descendentes Electorum, qui tunc erant & omni futuro tempore observarentur succeden-

dendi regulæ à legislatore præscriptæ, quem quidem du-  
 plicem temporum statum in ipsâ Bullâ expressum legimus,  
*ibi: Ne inter eorundem Principum secularium Electorum filios.*  
*&c. futuris temporibus scandalorum & dissensionum possit ma-*  
*teria suscitari. Item ibi: postquam iidem Principes Electores*  
*seculares & eorum quilibet esse desierit. Item ibid. & talis*  
*successio in primogeniti, & heredibus Principum eorundem in*  
*jure & potestate præmissis, perpetuis temporibus observetur.*  
 2. Apparet legislatorem expressisse duos nominatiores ca-  
 sus successionis in Electoratu sc. existente primogenito filio  
 Electoris ejusve progenie aut non existente, priori specie  
 stabilitum jus primogenituræ est, non tantum cum præla-  
 tione fratris primogeniti sed & ejusdem primogeniti legi-  
 timorumve descendendum. Secundus est casus quando  
 primogenitus filius Electoris decessit, sine legitimis liberis  
 masculis & tunc lex defert successionem Electoratus ad se-  
 niolem fratrem Laicum *per veram* (ut verba habent) *pater-*  
*nalem lineam descendentem & deinceps ad illius primogenitum*  
*Laicum* quorum verborum dispositionem minus circumspe-  
 ctè Dn. adversarius de primo acquirente feudi Electoratus  
 intelligit *d. l. c. 4. §. 7.* nulla enim dubitandi ratio esse po-  
 terat, quin Electorum secularium, qui tempore Caroli  
 Quarti Imperatoris vixerunt filii primogeniti, secundo,  
 vel ulteriores eorundemve progenies legitima masculina  
 descenderent à primo acquirente, cui primo electoratus in  
 in eadem familia jure feudi per investituram fuisset conces-  
 sus, quid verò opuserat hæc talia addere in successoribus  
 electorum de quibus ne dubitatio erat, quin à primo illo ac-  
 quirente descenderent; Longè est verius legislatorem hæc  
 verba non frustra posuisse sed personam ex novâ lineâ suc-  
 cessuram in Electoratu circumscripsisse qualis esse debeat,  
 nempe senior & descendens per veram lineam paternam  
 ut

ut præ aliis, succedere possit, qui descensus adeò non oppo-  
 nitur lineali successioni ut ei potius proximum præbeat  
 fundamentum sicut suprà indigitavi; per consequens igitur  
 & si dubium non sit successores Electoratum descen-  
 dere à primo acquirente, tamen descensus per paternam  
 lineam cuius fit mentio in textu Bullæ necessario aliquid  
 amplius infert, quàm descensum primæ originis vel acqui-  
 sitionis; Hoc enim puncto sive primo geniti sive secun-  
 do geniti vel ulteriores, Electorum filii eorumve descen-  
 dentes utique sunt pares; at verba relata legislator accipit  
 tanquam characteristicæ & distinctivæ personæ ex ordine  
 collateralis successuræ, ergo intelligi non possunt vulgari  
 illo ac trito sensu præciso, quasi senior agnatus quicumque  
 ille sit præcluso respectu lineæ, modò proximus fuerit gradu  
 debeat in Electoratu succedere, præter enim hanc pater-  
 næ lineæ mentionem, quæ expressa est in textu, quæque  
 minimè confundenda cum descensu à primo acquirente,  
 evincit hoc idem ratio quæ eadem est secundo geniti ad ter-  
 tio genitum ejusque progeniem, ut est primogeniti ad se-  
 cundogenitum ejusve prolem; atqui primogeniti ad se-  
 cundogenitum ea est succedendi in Electoratu ratio præ-  
 lativa, ut non tantum ipse sed & ipsius primo genitus &  
 deinceps descendentes excludant, secundo genitum cum  
 totâ suâ progenie à successione, ergo eadem erit successio-  
 nis prælativæ in electoratu ratio secundogeniti cum suo  
 stemmate ad tertio genitum ejusque descendentes. Ma-  
 jor propositio satis probabilis est ex ipso textu Bullæ, ubi  
 post fratrem primo genitum sine stirpe masculâ defun-  
 ctum vocatur non tantum secundogenitus sed & expres-  
 sis verbis ipsius primogenitus, additâ voculâ *deinceps*, quæ  
 solet significare tractum successivum, adeoque quemad-  
 modum primogeniti filii Electoralis primo genitus exclu-  
 dit à successione Electoratus secundo genitum filium Ele-

C

ctora-

Etoralem patrum suum, indistinctè sive pater primo geni-  
 tus filius decesserit ante patrem suum sive non, ita secundo-  
 geniti primo genitus similiter excludet ex dispositione Bul-  
 læ tertio genitum fratrem patrum suum. Quæ quidem  
 quod ad hypothese[m] nostram attinet exclusio & succes-  
 sio prælativa pariter & in nepotibus ac cæteris descenden-  
 tibus secundogeniti, cum eadem hic militet ratio nec le-  
 gislator aliud in his statuerit, obtinere debet; inconve-  
 niens sc. esset in lineâ secundo geniti solum filium primo-  
 genitum præferri, cæteros verò à secundo genito descen-  
 dentes remitti ad legem de proximitate gradus in successio-  
 ne Electoratus, cum quidem legislatoris ratio plane sit ea-  
 dem in secundogenito & ejus progenie ad tertio geni-  
 tum ejusque sobolem, quæ fuit primo geniti ad secundo ge-  
 nitum ejusque descendentes. Ast ubi eadem ratio est pri-  
 mogenituræ jus extenditur de personâ ad personâ transit-  
 que perpetuò ad omnes uti ex Molinâ *lib. 3. de Hisp. primog.*  
*lib. 3. c. 5. n. 25.* consuluit Menoch, *consil. 803. n. 34. & 38.* Idq;  
 in Electoratus successione tantò magis asserendum est,  
 quòd & in primogenito legislator non fecerit mentionem  
 ultra nepotes Electoris, quamvis sine dubio non pronepos  
 tantum sed & ulteriores descendentes primogeniti ex lege  
 excludant secundo genitum cum totâ progenie à succes-  
 sione Electoratus, ergò ob parem & dispositionem & ra-  
 tionem dispositivam legis idem dicendum est de secundo  
 genito & ejus descendentes, respectu tertio geniti & sic  
 deinceps. Quæ res hoc amplius confirmatur per san-  
 ctionem Bullæ Carolinæ Tit. 24. §. *Decernimus.* ubi in  
 casu si primogenitus patitur defectum mentis vel similem,  
 propter què non posset principatui præesse successio Ele-  
 ctoratus defertur secundogenito, si fuerit, ut verba legis  
 habent, in eâ progenie, seu alii seniori fratri vel consangui-  
 neo laico, **QUI PATERNO STIPITI IN DESCEN-**  
**DEN-**

## DENTI RECTA LINEA PROXIMIOR FUERIT.

Hic urgeo dominum antagonistam ut explicet, quid sibi velint hæc verba textus Bullæ, nisi: in casu defectus primogeniti vivi, vocari ex lege secundogenitum fratrem vel quemlibet consanguineum agnatum qui proximior fuerit ex paterno stipite in rectâ lineâ, quanquam hæc nihilominus sit & maneat successio collateralis, quippe qua frater fratri vel agnatus agnato succedit in Electoratu, secundum ea, quæ supra diximus ad explicationem textus feudalis. Neque dubitandum est, supponi hic in Bullâ casum ubi ex primo genito patiente defectum non superfit filius legitimus, hic enim aliâs excluderet secundo genitum filium patrum suum & omnes ulteriores, uti jam dictum est. Quod si hæc ita obtinent in casu defectus primogeniti vivi, cur non similiter in casu mortis procedant nulla ratio est, sed tota dispositio Carolinæ legis ejusque ratio pervincit idem juris esse utroque casu, nec sanè diversa vel prætextu aut saltem in speciem reddi potest, quo pertinet insuper argumentum ab absurdo desumptum *d. Disp. 27. th. 20.*

Quod nimirum contingere possit ut agnati pares gradu sint defuncto Electori agnato & sic sibi invicem impedimento in successione Electoratus, quæ inconvenientia contingere nequit in successione lineali, ergo hæc successioni ex solo gradu est utiq; præferenda, voluit enim clarè legislator futuris temporibus ita prospicere circa successione Electoratus, ne ut habent verba Bullæ dt. 7. *Scandalorum & dissensionum possit suscitari*, sed hic scopus minimè obtineretur ex successione per solos gradus, quia dissensionum materia inter pares gradu facile suscitatur, ergo non graduum sed linearum successio per legem Bullæ stabilita dici debet. Hoc argumentum Dn. adversarius frustra sol-

vere nititur allegatione insufficientis enumerationis par-  
 tium, quando *d. c. 3. §. 12. circa finem* ait successionem hoc  
 casu deferri uni virtute ætatis & jure senioratus, si pares  
 gradu concurrant, hic enim insufficientis partium enume-  
 rationis prætextus insufficientis est & nullo jure subnixæ re-  
 sponso, quia tertium ex adverso allegatum jure communi,  
 quo ex hypothese domini dissentientis maximè sustineri de-  
 bebat, prorsus destituitur qua enim lege vel constitutione  
 ex jure communi defertur successio inter pares gradu se-  
 niori quo ad ætatem? ac si uti Dn. adversarius contendit  
 Carolus Quartus Imperator in successione Electoratus  
 quantum ad agnatos rem reliquit dispositioni juris com-  
 muni, nulla erit inter pares gradu agnatos prælatio æta-  
 tis per se, quia jure communi, agnatus pari gradu licet æta-  
 te minor ad successionem simul admittitur cum agnato se-  
 niore; Quod si verò succedendi rationem in Electoratu  
 ad Bullam Carolinam adaptare velit, quatenus eam se-  
 niori fratri aut seniori agnato defert, necesse est ut disposi-  
 tionem ejus & verba supra scripta retineat, quibus consan-  
 guineus sive agnatus non simpliciter ex ætate præfertur,  
 sed cum reflexione ad lineam paternam ut sensus sit senio-  
 rem fratrem vel seniorem agnatum qui talis sit ex linea pa-  
 terna succedere in Electoratu ubi, primogenitus ejusque  
 progenies mascula defecerit; At boni interpretis non est  
 dividere dispositionem aut verba legis, vel quando hæc  
 conjunctim requirit aliqua, velut senioratum cum descen-  
 su lineali, senioratum sive ætatem majorem solam pro le-  
 gali dispositione obtrudere. Pariter nihil relevat succes-  
 sioni lineali vel argumentis pro eâ adductis objecta casu-  
 um infrequentia, & quod leges soleant ferri de casibus fre-  
 quentioribus juxta notissimam regulam; quoniam in ar-  
 duis causis & ubi præsertim magnum Reipublicæ interesse

sub-

subvertatur leges eundem etiam de casibus rarioribus, species est similis in *l. fin. C. de consul.* ubi licet raro contingat filium familias in patriciatus provehi honorem, tamen lex desuper posita est, ne si quid tale contingat legalis dispositio cesset & fanè huc quoque Imperatorem Carolum Quartum respexisse argumento, sunt verba ejus præmissa quibus voluit successiones Electoratum ita lege stabilire, ne de his inter filios Electorum possit scandalorum vel dissensionum materia futuris temporibus suscitari, quem scopum linealis successio facile assequitur, minimè verò ea, quæ fit ex solâ computatione graduum, posthabitis lineis, quando sic ex prædeductis contingere potest, ut adsint pares gradus, quorum unus, si provocet ad senium ætatis, nec jus commune Civile nec Feudale ut præferatur alteri, pro se habet, nec adjuvatur dispositione Bullæ, si majorem ætatem suam urgeat, extra considerationem lineæ paternæ uti jam est ex textu ostensum; ex quibus ulterius liquet frustra objici à Domino adversario tempore Bullæ Carolinæ nullam fuisse controversiam de ultimo succedendi ordine agnatorum nimirum, quia legislator non de controversiis, quæ tunc de successione Electoratum secularium jam natæ essent, præcipuè disponit sed quàm maximè de futuris, quæ probabiliter nascerentur, ni prudenti legislatione ipsis præcluderetur via; Nec quia in lineâ rectâ tunc temporis controversia nulla fuit, ipse adversæ sententiæ assertor, argumentari licere concedet de successione lineali descendentium in Bulla nihil dispositum; Ergò pari ratione idem erit de agnatis dicendum, ut licet de eorum successione tunc nulla fuerit controversia, tamen legislator respexerit futura tempora quibus moveri facile posset; scopus nempe ab ipso Carolo Imperatore expressus satis clarè ostendit, fuisse eum non de dirimendis, quæ tunc actu

motæ essent Electoratum controversiis sollicitum, sed ut quæ nasci in futurum possent ad emolumentum Reipublicæ providâ lege excluderentur. Hoc amplius nihilo felicior est specialium Bullarum allegatio, quibus successiones Electoratum divi Carolus Quartus & Sigismundus Imperatores, ille in Electorali Saxonica, hic in Archipalatina familiâ declaraverunt; utraque enim hæc Bulla, satis clarè linealem successionem adstruit; verba Bullæ Saxonice ita habent: *Et ne inter hæredes & successores ipsius eo defuncto super jure hujusmodi (Electoatus sc.) futuris temporibus dubitationum, questionum seu litium quævis materia oriatur, decernimus statuimus, & presenti Imperiali sancimus, edicto in perpetuum valituro, quod post dicti Wenceslai Saxonie moderni ac Luneburgensium Ducis obitum primogenitus ejus filius & post primogeniti obitum ejusdem primogeniti senior filius ex ordine genitura & sic deinceps à seniore filio descendentes ex ordine genitura semper senior; si verò primogenitus Ducis Wenceslai præfati decesserit, masculini sexus laicis duntaxat legitimis heredibus non relictis extunc secundogenitus filius Wenceslai Ducis prædicti & post obitum ejus secundogeniti filius senior laicus, etsi secundogenitus sine heredibus legitimis masculini sexus laicis decesserit, tertio genitus dicti Wenceslai & senior ejus filius laicus post mortem ipsius & deinceps per talem modum, directâ lineâ genitura descendentes ab eo laici duntaxat, jus, vocem, dignitatem & potestatem eligendi Romanorum Regem, promovendum in Imperatorem & officium Mareschallie cum omnibus & singulis suis dominiis, honoribus, juribus, privilegiis, dignitatibus & pertinentiis perpetuis temporibus obtinebunt per successionem hereditariam & paternalem, ut præmittitur, ex ordine genitura.*

Ex quibus apparet Imperatorem Carolum Quartum Wenceslai Electoris tunc Saxonie descendentes distinxisse

sc



se per lineas, quatenus legitimè Electoratum Saxonicum  
 successione aliquando obtinere possent, ita videlicet, ut  
 post obitum Electoris Wenceslai primogenitus ejus filius,  
 & post hujus mortem iterum primogenitus & sic deinceps  
 à seniore filio descendentes ex illis semper senior succe-  
 dere debeat in Electoratu, quòd si ex his nemo superfit ad  
 secundogenitum & post obitum ejus ad secundo geniti fi-  
 lium seniore, postque decessum ejus cum descendentes  
 legitimis, ad tertio genitum ejusque seniore filium pari  
 successione ordine servando, Electoratus deferatur. Quæ  
 Bulla specialis Caroli Quarti Imperatoris, ejusque dispositio,  
 iisdem ferè verbis repetita est à Sigismundo Imperatore  
 in Bulla Palatinâ concernente successione Electoratus  
 Palatini in progenie Ludovici Electoris, ubi notari mere-  
 tur. I. nunquam secundo genito ullive ejus filio vel descen-  
 denti his Bullis deferri successione Electoratus, vivo pri-  
 mogenito ejusve ullo filio aut descendente legitimo laico  
 nec similiter ad tertio genitum de volvi ullumve ejus fili-  
 um vel descendente, superfitte secundo genito ejusve ul-  
 lo filio vel descendente legitimo laico, ratio, quia tantum  
 post primogenitum ejusque descendentes legitimis laicos  
 extinctos vocatur secundogenitus, & post hujus ac descen-  
 dentium legitimorum obitum tertio genitus unde necessa-  
 riò sequitur successio linealis, nam si contingat successio-  
 nis collateralis casus in lineâ primogeniti, v. g. si moriatur  
 ejus ex seniore filio nepos improles & superfit ex primo-  
 geniti ejusdem secundo genito pronepos, hic procul du-  
 bio in successione Electoratus vinceret ex primogeniti fra-  
 tre secundo genito descendentes omnes, prætermisâ & æ-  
 tatis & gradus ratione, quoniam successione eventus, ut sc.  
 primogeniti descendentes omnes extincti sint, nondum  
 extitisset, quem tamen Bullæ tenor requirit, ut frater ille  
 secun-

secundo genitus ejusve descendentes ad successionem Ele-  
 ctoratus pervenire possint; quod si pronepotes plures sint  
 ex secundo filio primogeniti superstites, defertur successio  
 seniori, atque sic ex dispositione Bullarum ætatis ratio non  
 habetur nisi inter personas lineâ pares, hinc si ponamus  
 primogenitum Cajum tres habere filios legitimos Primû,  
 Secundum, Tertiû, quos ætatis ratione ita nomino, ex pri-  
 mo post obitum Caji superesse nepotem, ex secundo pro-  
 nepotem, & ex tertio nepotem, si nepos ex primo sine  
 prole masculâ decederet, non nepotem ex Tertio, sed pro-  
 nepotem ex Secundo quamvis gradu & ætate inferiorem,  
 ad successionem Electoratus per Bullas vocari dicendum  
 est, eo ipso, quo Tertius vel ab eo descendentes in Lege  
 vocantur, post Secundum ejusque progeniem mascu-  
 lam extinctam; qui casus ex Secundo superstite pronepote  
 nondum contigit, benè verò in personâ hujus pronepo-  
 tis, respectu lineæ Primi extinctæ. Notandum est 2. licet  
 tenor verborum utriusque Bullæ jam allegatæ ita legatur  
 conceptus, ut si primogenitus sine filio vel liberis legitimis  
 masculis decesserit, locus fiat secundo filio Electoris, & si-  
 milis extet dispositio in Tertio quoad præcedentem si-  
 ne progenie Secundum, quæ quidem provisio, vi corticis  
 verborum ad eam tantum hypothesein referri videbatur,  
 qua filius primogenitus vel secundogenitus tempore mor-  
 tis non relinqueret filios vel alios descendentes, neque  
 enim si primogenitus (idem in secundogenito) decederet  
 relictis filiis vel descendentibus, dici verè potest, eum de-  
 cessisse sine liberis etiamsi hi postea deficerent, tamen  
 haud obscure sensum Bullarum referendum ad eum quoque  
 casum esse, quo primogenitus v.g. superstite filio aut ne-  
 pote decederet, is verò filius aut nepos post mortem pa-  
 tris vel avi moreretur absque liberis masculis legitimis  
 tunc

tunc nimirum vocabitur secundus, & hoc similiter, decedente Tertius ad Electoratum quia hoc saltem inspiciendum est ex sententiâ Bullarum an contingente casu successionis, post fata primogeniti superfit aliquis ex eo descendens, in Electoratu successurus, non, an & qui ipso primogenito præmortuo, tempore obitus fuerint reliqui, post vitâ perfuncti; alioquin sæpè futurum, ut cum publico detrimento successiones Electoratum provisione legis destituantur, quod certè de sententiâ Bullarum non videtur rectè dici. 3. Considerandum est etiam nepos ex primogenito juxta literam Bullarum ad successionem Electoratus perveniat cum exclusione patris sui sive secundogeniti Electoris filii, atque ab eo descendendum, tamen turbato mortalitatis ordine, quo filius primogeniti ante patrem decederet relicto filio, primogeniti sc. nepote, idem juris adstruendum, quia vel primogenitus pervenisset ad Electoratum, & tunc nepoti ex primogenito, cum decedens devolveret, vel nunquam pervenisset, & sic spem ex præductis lege & ratione firmatam cum exclusione fratris vel ab eo descendendum merito diceretur detulisse nepoti; Idque idem illud est, quod *d. diss. 27. th. 17.* ex Sousâ, Molinâ, & Fontanellâ de lineâ primogeniti & de jure præclusivo secundogeniti post eam extinctam diximus, cui conformia sunt, quæ Arumæ habet ad *A. B. d. tit. 7. th. 6.* & post *Castrens. Rol. à Valle & al. Rümmlin ad A. B. p. 1. diss. 6. th. 16.* ubi eleganter hac de re ita scribit: *Secundogenitus momento, quo nascitur jus succedendi in Electoratu, præ tertio quæsitum ac radicatum habet, quod ejus stirpi ac lineâ, quamdiu in eâ habilis quispiam superest, adimi nequit & sicut non fit transitus ad secundam lineam nisi deficiente prima, ita nec de secundâ lineâ debet fieri transitus ad tertiam, nisi secunda lineâ exspiraverit,* hæc Rümmlinus, cui absque dubio etiam conveniunt, quæ suprâ ex aliis Dd. pluribus fuerunt allegata.

D

Ad

Addendum 4. eandem fuisse Bullæ Carolinæ generalis, quæ vulgò Aurea dicitur sententiam, claro testimonio Bullæ Sigismundi, cum enim hic Imperator §. *Et ne inter* verbis in parenthesi positis expressè referat, a Carolo prædecessore Imperii ac patre suo idem fuisse consensu Electorum, Principum procerumque sancitum circa successiones Electoratum, quod ipse decernat ac sanciat per Bullam Electorali familiæ Palatinæ concessam, manifestum est, eū per hanc ipsam Bullam declaratam saltem voluisse Bullam generalem sive Auream prædecessoris sui patris & Imperatoris Caroli. Ergò est verosimile, cum Bullæ speciales prædictæ ipso verborum textu formali ut plurimum conveniant, neque alium finem Carolum quartum, in Bullâ Wenceslao Saxonix tunc Electori vel descendentes legitimis concessâ, habuisse, quàm declarationis legis generaliter prius publicatæ, & ut quæ ibi disposita essent, specialiter de Wenceslao jusq; progenie secundum nascendi ordinem expressius declarata extarent, visum nempe fortassis Wenceslao est, melius secum & cum familiâ agi, si præter legem Bullæ communem, speciali niteretur declaratoriâ, distinguente, qui in posteris contingere possint diversos ac varios succedendi casus, quam rem Bulla Caroli specialis ipsi, ut postea Bulla Sigismundi familiæ Archipalatinæ præstitit.

Falsa proinde est hypothesis per Bullas horum Imperatorum restringi primogenituram in successione Electoratus ad fratres & primogeniti descendentes ita ut his extinctis sola habeat locum computatio graduum, nam Bullæ non ita loquuntur, sed ordine deferunt successionem primogenito & ejus descendentes primùm, deinde his extinctis secundogenito ejusve descendentes, post tertio genito ejusque liberis & sic deinceps, ergo quia v.g. tertio genito ejusve descendentes non vocantur ad successionem Electoratus à lege

lege si secundogenitus ejusve descendentes super sint, manifestum est totam lineam secundogeniti excludere tertio-  
 genitos quoscunque ut jam antea argumentatus sum ; neque  
 relevat secundogenitum fratrem prædecessisse, quia par im-  
 pedimentum adhuc excludit tertio genitos sive ipsum fratrem  
 sive ex eo descendentes, vita nimirum superstitem secundo-  
 genitorum, quibus extantibus lex noluit succedere in ele-  
 ctoratu fratrem tertio genitum vel ejus descendentes, iisque  
 hoc ipso prælati censi debent secundogeniti, quòd lex iis  
 demum non extantibus Electoratum deferat tertio genito  
 ejusve liberis per argumentum ex l. *Lucius* 85. *vers.* quos eo  
*amplius ff. de hered. instit.* Sic & alibi Papinianus in l. *cum*  
*pater* 77. §. *penult. ff. de leg. 2.* ordinem substitutionis agno-  
 scit ex dispositione fidei, commissariâ, qua aliqui prius  
 nominati sunt. Sicut ergò in casu Scævola per d. l. *Lucius*  
 indistinctè præferuntur liberi fratris, quamvis quod ad cor-  
 ticè verborum attinet, dispositivè non vocati, sed tantum in  
 conditione positi, & sicut posterius nominati apud Papi-  
 nianum in d. §. *pen.* excluduntur, à prænominatis, ita idem  
 dicendum est ex dispositione Bullarum de tertio genitis fra-  
 tribus eorumque descendentes, eos videlicet à succes-  
 sione Electoratus indistinctè excludi per secundogenitos  
 fratres eorumve liberos in conditione exclusivâ positos &  
 prænominatos, quia Bullæ non distinguunt, verum secun-  
 do genitus frater decesserit ante extinctam lineam primo-  
 geniti, vel non, sed generaliter eum vocant post lineam pri-  
 mogeniti, & tertio genitum fratrem ejusve liberos demum  
 post secundogenitum ejusque descendentes, ergò his super-  
 stitibus indistinctè verum erit locum non esse tertio genito-  
 rum successioni in Electoratu & consequenter præferetur  
 linea secundogeniti, adeoque Electoratus successio pro  
 fundamento supponit ordinem linearem, idque haud diffi-

tantum nihil concludit pro successione Electoratus ex gradu contra lineam, sed plane potest hinc ipsa successio linealis probari ob clara verba *d. §. quibus omnibus* dum non secundum gradum, cujus nulla mentio ibi est, sed SECUNDUM LINEAM PATERNALEM proximior heres dicitur, qui in Electoratu sit successurus, is autem non esset proximior secundum lineam paternalem qui v. g. esset ex quartogenito fratre natus cum alii superessent comites Palatini ex tertio genito legitime descendentes; Quæ res tanto magis confirmatur quod *per d. §. quibus omnibus* deferatur successio Electoratus proximiori hæredi familiæ secundum lineam paternalem ac ejus hæredibus *secundum eundem modum*, (ut verba Bullæ habent) *superius expressatum*. Ast verò in præcedenti contextu dispositio clarissima habetur de successione lineali tam inter ipsos descendentes ex primogenito filio Electoris, quam descendendum seniore fratre post extinctum primogenitum cum suâ progenie, juxta quam succedendi rationem cum expressè Bulla Sigismundi velit, devolvi futuris temporibus Electoratum Palatinum post lineam Ludovici Barbati Electoris & post lineam senioris fratris ejusdem ad aliquem ex fratribus ulterioribus vel eorum progeniem, non animadverto, quâ ratione, alia in his eorumve progenie obtineat successio Electoratus Palatini, quam linealis, quippe quæ sola in præcedentibus fuit expressè stabilita, & omnium minimè id video quomodo hic pro lineali Electoratus Palatini successione tam clarus Bullæ textus contra & verba & contextum præcedentem detorqueri possit ad prærogativam gradus, cujus tamen ibi nulla prorsus habetur mentio. Nihil subterfugii præstat allegatio agnationis quasi intelligeretur proximus à patre cognatus exclusâ cognatione maternâ, item quòd successor Electoratus debeat à com-

à communi stipite Electoris proximè defuncti descendere, hæc enim uti per se admitti possunt, ita minimè sufficiunt ad declarandam proximitatem juxta verba Bullæ **SECUNDUM PATERNALEM LINEAM** aliud enim est aliquem esse proximiorum juxta lineam paternam, aliud esse à patre cognatum ac descendere à communi stipite cum defuncto, de quo originis descensu vix quæstio esse poterat inter eos, quibus successio Electoratus Palatini futuris tunc temporibus aliquando devolveretur, omnes scilicet hosce fratres Ludovicum Barbarum Electorem, Johannem Fridericum, Ottonem Stephanum constabat esse filios Ruperti Comitis Palatini & Regis Romani, de quorum & descendentium origine stemmatis paterni consequenter nullus poterat esse scrupulus, certè nullus qui dubiam quandocunque redderet successionem Electoratus; at scrupulus esse potuisset & magna dubitatio, si tanti momenti successio computationi graduum fuisset relicta uti jam supra est ostensum. Senium porro in Bullis *d. l.* expressum legimus absque ulla mentione gradus, ut adeò hæc duo proximitas lineæ & senium ætatis sufficiant ad explicandam totam rationem succedendi in Electoratu & lineæ quidem proximitas, pro decisione est, quando quæstio moveri vellet inter duos vel plures agnatos, quis succedere debeat, ubi omninò linea vincere debet, quia hoc considerationis respectu successor dicitur proximus in Bullis, & sic nulla habetur ætatis ratio isto casu nam uti verba: **SECUNDUM LINEAM PATERNALEM** ex prædeductis non admittunt interpretationem de proximo ex gradu agnato, ita nec senium inter agnatos diversarum linearum admitti poterit contra prærogativam lineæ, nisi velimus textum sibi ipsi obloqui, dum adstruit successionem Electoratus devolvi ad proximum heredem juxta paternam lineam & tamen

men si quis esset proximus ex linea patris forsan verò ætate minor respectu alterius agnati (præsupposita hypothese adversâ) hunc exclusum vellet intuitu ætatis quod absq; contradictione simul statui non posset. Ast verò, si non inter agnatos alios sed fratres casum successionis Electoralis concipiamus, quis ex illis debeat succedere, tunc quia paritas est in lineâ, ætas major decidendi rationem affert, & sic senior ex fratribus fit Elector, sive successio à fratre sive ab agnato defuncto obveniat; Nec debet objici, tenor Bullarum quo semper seniores statuunt in Electoratu debere succedere, quia id verissimum est in paritate lineæ & casu tunc semper contingit quando Electoratus jure lineæ devolvitur ubi semper senior par lineâ juxta regulam debet succedere, sive patri sive fratri sive cuicumque agnato absolute autem hæc sententia Bullarum non est, indistinctè universalis ut semper præferatur senior, aliàs primogenitus primogeniti excluderetur à patruo secundogenito, quod manifestè adversatur Bullis, ut rem igitur totam compendio proponam inter successores Electoratus vel est aliqua lineæ prærogativa & illa attenditur juxta Bullas vel est lineæ paritas & tunc semper senior succedit, idque tam in ordine descendentium veluti si primogeniti primogenitus relinquat filios, quàm collateralium, veluti si fratres plures essent è quibus unus defuncto aut fratri aut agnato Electori succedere deberet, semper sc. inter pares jure lineæ succederet frater senior, quæ certè ut in se satis clara, sic necessario asseri debent, nisi vel textum in Bullis Cæsareis quatenus proximum heredem vel successorem Electoratus declarant secundum paternam lineam contra proprietatem verborum detorqueamus ad proximitatem gradus inani prætextu remoti stemmatis quæsito vel sibi ipsi contradicere affirmemus, quorum neutrum admittendum est; Ast enim, objicit



cit antagonista successioni lineali ex Serenissima domo Palatina pacta Heidelbergensia anno 1553. inter Fridericum II. Electorem, Ottonem Henricum, Johannem, & Wolfgangum Duces & Comites Palatinos Rheni inita, quibus futuros casus successione Electoratus Palatini non ex jure primogenituræ deciderint, sed decisioni Imperatoriæ reservaverint, veluti si ab una parte quæstio inter abnepotes Friderici Ducis Simmerensis & ab alterâ parte inter pronepotes Ludovici Veldentini mota fuisset, quale est enim, ut cætera omittamus argumentum à reservatione decisionis Cæsareæ petitum ad exclusionem juris primogenituræ? Nempe *ἐκ τῶν ἀντιστροφῶν* cum retorqueri possit adversus proximitatem gradus, quam si certam credidissent Serenissimi paciscentes pariter dici possunt non fuisse casum relaturi ad Cæsaream decisionem; deinde sæpè accidit, in causis, ubi altera pars longè meliori jure nititur si conveniri nequeat ob alterius partis jus assertum, judiciariæ disceptationi ac decisioni controversiam committi vel reservari, quamvis alterius partis merita causæ longè præponderent.

Carolus Quintus Imperator controversiam, quæ inter Jurisconsultos fuerat, de successione filiorum fratris in hereditates thiorum, si soli essent, declaravit, de successione per capita ita ut jus repræsentationis tunc cessare debeat, nemo tamen juris Romani peritus negaverit etiam ante hanc legem declaratoriam debuisse meritò judicari, pro successione in capita inter filios fratrum, ubi soli fuissent, cùm textui Nov. 118. c. 3. hac parte non correcto ea opinio sit longè conformior, tantò minùs reservatio futuræ declarationis Cæsareæ pro improbabiliore sententiâ allegari aut velut ad consensum ejus respectu reservantium detorqueri debet, Cæterum nulla lis, de Electoratu Palatino pendet cujus desideretur, uti Dn. adversarius refert Imperatoria de-

E ciso,

cilio, nec iuste amplius vel lis moveri vel decisio Cæsa-  
 reæ successionis pro gradu contra lineam congruè expecta-  
 ri posset, postquam invictissimus Imperator per geminam  
 investituram Serenissimis lineæ Neoburgicæ Principibus  
 Dn. Philippo Wilhelmo patri & post ejus obitum Dn. Joh.  
 Wilhelmo filio Electori moderno, de Electoratu Palatino  
 concessam, ipso effectu lineam gradui prætulit, & sic dupli-  
 ci exemplo insigni prædecessorum Imperii Bullas, quarum &  
 verior ex deductis hæc sententia est, circa successionem E-  
 lectoratus haud dubiè pro lineâ jam declaravit; juxta quam  
 Cæsaream auctoritatem tum à Collegio Electorali in Co-  
 mitialibus negotiis & vel ipso actu Electionis Regiæ Roma-  
 næ Josephi, tum ab exteris potestatibus, Linea Neoburgica  
 jâ Electoralis est, & Principes ex eâ de Palatinatu inferiore ut  
 Electores investiti veri ac indubii Electores Palatini nec  
 dissentiente Imperio habentur. Frustrâ amplius ex adverso  
 allegatur pactorum Heidelbergensium per Instrumentum  
 pacis Westphalicæ art. 4. §. 10. facta confirmatio, quia est  
 ejusdem conditionis cum pactis confirmatis, de quibus jam  
 ostendimus, quòd nihil penitus juvent allegatam ex adver-  
 so successionem pro gradu contra lineam; Imò prædicta  
 confirmatio potius militat pro successione Palatino-Neo-  
 burgicâ, utpote cujus favore facta est, quam rem & pacta re-  
 centiora Halensia de successione & futuro regimine Electo-  
 ratus Palatini inter Principes Palatinos Carolum ultimum  
 Simmerensis lineæ & Philippum Wilhelmum primû Neo-  
 burgicæ Electorem inita satis declarant atque demonstrant;  
 Nec per d. §. 10. magis licebit argumentari ex contextu, quia  
 nihil juris novi tribuit, sed lineæ Rudolphinæ jura, quæ habe-  
 ret anteriora præservat, adeoq; in argumentum successionis  
 pro gradu contra lineam, inter ipsos lineæ Rudolphinæ  
 Principes Palatinos Neoburgicos hodiè Electores & Prin-  
 cipes Palatinos Lüzelsteinios valere nullo modo po-  
 test.

test. Nec magis ad rem facit juris primogenituræ stricta interpretatio, quoniam ex Bullis Cæsareis, successio linealis, non per modum extensionis, sed declarationis defensa est, ipsa sc. etiam inter collaterales prodita successio in Electoratu expressè disposita invenitur **SECUNDA M LINEAM PATERNAM**, quæ verba per se ipsa suo nativo sensui relicta, inter agnatos familiæ Electoralis ex lineâ non ex gradu fundamentum succedendi struunt, absque omni de casu ad casum propriè dicta extensione, ut taceam primogenituræ jus sano sensu etiam favorabile esse uti suprâ dictum & ex deductis per Menochium constat *consil. 204. n. 61. & 83. item cons. 232. n. 5. & 33.* Exempla, quæ subjiciantur petitiæ in Comitibus de anno 1653. à diversis Principum Imperii familiis introductionis primogenituræ ad successionem Electoratum jam publicis legibus introductam nō pertinent, in quibus enim familiis & provinciis jus æquale est primogenitis & secundogenitis vel ulterioribus ad successionem, primogenituræ prærogativam introduci cum præjudicio consortum & sine illorum consensu injustum videtur, certè difficile est, quam rem ut repulsam daret, Collegium Electorale desuper imploratū consideravisse, vel ipse Dn. antagonista agnoscit & fatetur. Auctoritates, quod attinet circa generalem questionem successionis linealis ex jure feudorum, magnæ estimationis commentatorem juris feudalis nomine Andr. de Ifern. is *sub fin. n. 31. in d. vers. dummodo scias* ita hac de re scribit: *Moritur Gajus (is ad quem unum ex textu Tertiâ vice feudum pervenerat) feudum habens sine filio masculino & descendente ex masculino, queritur qui succedant, utrum omnes agnati fratres patruales patris sui Sempronii (patris sc. Gaji) an fratres sui carnales filii Sempronii: Resp. quod ad eos solos & omnes (quia feudum erat divisibile) qui sunt DESCEN-*

E 2

DEN-

DENTES EX ILLA LINEA PROXIMA, unde Gajus mor-  
 tuus descendit. i. e. ad fratres suos Sempronii & proximiores  
 respectu aliarum linearum ex Titio vel Seio (proavo vel avo  
 Caji juxta schema Ifernix,) descendentiū, quasi diceret  
 (textus sc. feudalis d. vers. dummodo scias:) proximiores agna-  
 ti succedunt, sed illis deficientibus vocantur omnes alia linea æ-  
 qualiter, i. e. qui sunt in PROXIMIORI LINEA POST ILLAM  
 equaliter admittuntur. Hactenus Ifern. ubi manifestum  
 est, ipsum intelligere textum hunc feudalem de successione  
 collateralis ex lineâ quæ d. c. 50. ex pacto aliâs lege spe-  
 ciali, fundamentum habet, ut adeò devolutio feudi ad u-  
 num, quæ fit ex generali jure investituræ huc non perti-  
 neat, quæque supra deduxi ad eam haud debeant referri,  
 neque tantum communem illius ad quem unum primâ vi-  
 ce feudum pervenerat, lineam sed specialiter lineam  
 ultimi defuncti præfert Ifern. adeoque contra opinio-  
 nem Rosenthalii de ramis vel lineolis subnatis statuit,  
 quòd in ipsis Titii posteris existente casu successionis  
 collateralis vincat linea. Eadem sententia haud imme-  
 ritò & Matth. de Afflict. in d. vers. dummodo scias, at-  
 tribuitur, sed & Alvarottus ad hunc eundem textum præ-  
 rogativam successionis collateralis ex lineâ agnoscit, etsi ob-  
 scurius loquatur de lineâ communem, num intelligat primi il-  
 lius velut Titii an ultimò defuncti lineam, quæ cum præro-  
 gativâ successuris communis esse debeat agnatis de lineâ  
 ultimò defuncti, quorum posterius probabilius videtur, se-  
 cundum notata Socini junioris in l. si cognatis n. 40. ff. de  
 reb. dub. quicquid verò de eo sit, lineali successioni hoc  
 modo adstipulati sunt non modò Sonsbecius & Hottoman-  
 nus, à Rosenthalio loc. præcit. allegati, sed Zasius quoque in  
 epit. feud. part. 8. num. 5. & clarius Cujac. lib. 4. de feud.  
 tit. 59. quo loco textum sæpè allegatum 2. F. 50. declarat  
 his

his verbis, *explicandum est ex his, qua sequuntur hoc loco paternum &c.* ut linea ejus fratris, cui divisione feudum obvenit quamdiu duraverit censeatur PROXIMIOR ET PRÆFERATUR LINEÆ ALTERIUS FRATRIS, quam rem etiam subjecto schemate ita declarat ut proximè defuncti linea, dum quis ex eâ superfit attendatur, sed deficiente lineâ primi, ad primos fratres eorumvè posteros successio deferatur. Struvium in eadem fuisse sententiâ præferendæ linealis successione in feudis ad unum devolutis, constat, ex *Synt. iur. feud. c. 9. §. 7. n. 5. 6. & 7.* & ipse Dn. adversarius eum allegans agnoscit; Rosenthalius communem dicit *d. concl. 57.* & licet subjungat, Doctores hoc intelligere salvâ proximitate gradus, id tamen controversiam involvit de lineolis subordinatis, an in illis quoque prærogativa valeat præ lineis cæteris, an verò omnes, qui sunt de communi lineâ primi cui feudum ex divisione soli obveniat, secundum gradus admittantur, quorum prius Iserniae, Hottomanni, Sonsbecii, Cujacii, Struvii & aliorum opinioni, sed & ex suprâ deductis textui feudali *d. vers. dummodo scias* ac rationi satis apparet conforme; posterius Rosenthalio cum aliis arridet, qui tamen de jure feudorum admittunt omnes successione linealem inter collaterales in lineâ descendente primi, cui soli feudum ex divisione hereditariâ cessit, & erroneum est Rosenthalii allegatam opinionem communem ita intelligere, ut in solo ordine successione rectæ lineæ, obtineat linealis prærogativa, quoniam agnati agnatis succedere possunt, qui omnes tamen descendant à primo, cui uni fratres detulere feudum in divisione hereditatis paternæ; neque is tamen simpliciter primus acquirens feudi fuit, cum jam à patre ad filios devolutum proponatur, sed primus, cui uni fratres dividentes paternam hereditatem illud cesserint.

In successione Electoratum Imperii adhuc clarior est dispositio prærogativæ universalis linearum, quia ex Bullis Cæsareis aperte præfertur in successione Electoratus primogenitus & tota ejus linea secundogenito ac toti lineæ hujus; similiter & secundogenitus totaque ejusdem linea tertio genito totique illius lineæ, quin & in ipsis generalis lineæ consortibus lineolis subnatis haud obscure idem jus adstruitur rationibus hæcenus assertum sc: præferri lineolam quanque proximam, etsi adsint agnati gradu viciniore in lineolis remotioribus utcunque etiam à primo illo per divisionem hereditariam acquirente æque descendentes. Contra quam linealem successione Electoratum Imperii, etsi Goldastus sentiat in suo Seniore ac pugnet Limnæus ad *Aur. Bull. d. tit. 17. §. 2. obs. 18.* item *rom. 2. jur. publ. lib. 5. c. 15. n. 3.* cujus vestigia premit. Dn. Rhet. *Inst. jur. publ. lib. 1. tit. n. 8.* tamen auctoritates alias his opponere licet præponderantes egregias atque gravissimas, & quidem qui ex professo contra Goldastum scripserit Engelbrechtus est in *dissert. de successione in Electoribus ex jure primogenitura*, consentiunt *Arum. ad Aur. Bull. disc. 4. th. 6. & Rumlin. in d. dissert. 6. th. 16.* item in *Nucl. jur. publ. Lampad. p. 3. c. 4.* pariter etiam prærogativam lineæ in secundogenitis & ulterioribus agnoscunt *Covarruv. pract. quest. 38. n. 9. vers. Sextò regia. Ludov. Molin. lib. 1. de primog. c. 5. n. 50. Tiraquell. de jur. primog. quest. 41.* licet hunc ut quodammodo dubiè loquentem Covarruvias notet *d. n. 9.* Idem censuere *Grammaticus decis. 1. n. 30.* & *Fontanella decis. Cathalon. 34. n. 6. & 17.* Idem tenuit *Knichen de vestit. pact. p. 3. c. 3. n. 41. & 45.* ejusdem etiam successione linealis in Electoribus Imperii assertor vir celeberrimus Dominus Strykius alias adhuc auctoritates adducit *de success. ab inest. dissert. 7. §. 51.* Ex quibus  
omni-

omnibus liquet linealem successionem Electoratum prægnantioribus niti rationibus usu firmari & insignioribus etiam Jurisperitorum calculis consentientibus assertam hæcenus atque defensam fuisse, nec Dn. adversario, ex deductis solidæ rationis quid relinqui, quâ meam *de successione ex lineâ* disputationem suprâ allegatam jure impugnasse censeatur. Denique quod patruelium nomenclationem attinet, res ita habet: Textus feudalis, ex *d. vers. dummodo scias* relatus bis facit mentionem fratrum patruelium quos ab eodem patre descendentes sic nominat, eam nomenclationem incogruam putavi & barbaris temporibus adscribendam *d. disp. de succ. ex lin. th.*, non ignorans glossam ibidem & eam secutos plures allegationem nominis patruelium ad filios ex alio fratre natos exemplo juris Romani referre, ast quia de his textus feudalis non loquitur & ipsos filios relictos à defuncto ait, fratres patruelles dici, insuper & divinatoria est interpretatio binis vicibus sub tempus mortis ejus, qui feudum habuerat ex fratre filios relictos, quâ de re prorsus nihil in textu habetur, verius utique est ætate feudistæ, fratres ab eodem patre natos dictos esse patruelles, in eoque ut in aliis multis idioma latinum ex barbarie introductâ fuisse mutatum; Hoc sensu *Matth. de Afflict. in d. vers. dummodo scias circa fin.* defendit tales fratres, qui aliàs putati nati ab eodem patre in jure consanguinei dicuntur vel germani, patruelles vocari, ac natos ex diversis fratribus dici fratruelles, quæ res etsi juri Romano haud dubiè adversetur, quo fratres patruelles, non propriè fratres sed fratrum filii sunt, abusum tamen temporum judicat, unde simul apparet; me non obloqui textui feudali, sed simpliciter credere bis afferenti fratres patruelles dici ab eodem patre relictos filios, appendicem verò divinatoriam glossæ & aliorum de filiis ex alio fratre & quidem



AK III 3088

dem geminato casu superstitibus, cujus rei nec minima in  
 textu fit mentio habere suspectam; non nego, ex fratri-  
 bus probabiliter sobolem descendente[m] superfuisse, ut es-  
 set quæstioni post fata sine liberis defuncti locus; sed præ-  
 cisè fuisse pari gradu cum relictis à defuncto possessore feu-  
 di & bis quidem atque horum respectu, sine quorum men-  
 tione, relictos ab eodem illo possessore feudista sic vocave-  
 rat, dictos fratres patruels fuisse, id verò sublestæ fidei,  
 bonæque interpretationis normæ adversum mihi visum  
 est & adhuc videtur; quòd si Dn. adversario aliud pla-  
 cuerit, cur in quæstionem de lineali successione, circa  
 quam obiter facta in disputatione meâ mentio erroneè  
 ac minus latinè usurpati nominis fratrum patruclium non  
 afferebat impedimentum, oportuit quæ omnibus nota  
 sunt in contrarium proferre, nisi, quacunque parte, ulla  
 occasio visa, meas assertions, si non infringere saltem velli-  
 care volupe fuisset, quam rem totamque hanc defensio-  
 nem, æquanimi lectoris iudicio ac censuræ lubens merito-  
 que submitto.

D. S. G.

F I N I S.

*Corrigenda.*

Pag. 5. lin. 21. deleatur pro. p. 9. lin. 17. legatur textu. p. 12, lin. 29. l. hæc.  
 p. 12. lin. 33. l. succedunt l. 48. p. 23. l. secundogeniti.


❁ (o) ❁

1077

MC







2

